

que est lune ad solem, ut habetur in decretali de maiestate et obedientia, c. *Solite* ^{c)}); sed luna nichil habet luminis nec virtutis nisi a sole; ergo nec imperator habet aliquid potestatis nisi a summo pontifice. Preterea: dicit Ugo de Sancto Victore in Libro de sacramentis ⁹⁾, quod quanto anima precellit corpus dignitate honore et potestate, tanto potestas spiritualis precedit temporalem. Nam potestas spiritualis habet instituere potestatem secularem ut sit, et iudicare sive deponere, si bona non fuerit. Cum autem potestas spiritualis a deo sit instituta, si deviat, a solo deo iudicari potest. Unde dicit apostolus prima Cor. ^{d)} 2. ¹⁰⁾: 'Spiritualis diiudicat omnia et ipsa a nemine iudicatur.' Preterea: dicit Cyrillus in Libro thesaurorum ¹¹⁾: 'Petro iure divino omnes capud inclinant et primates mundi tamquam domino Yesu Christo obediunt.' Et Vallerius Maximus dicit ¹²⁾: 'Non dubitaverunt sacris imperia servire, ita <se> humanarum rerum habitura regimen extimantia <...>.' Et in Concilio vienensi ¹³⁾: 'Imperatores romani summo pontifici, a quo aprobationem persone ad imperialis celsitudinis <apicem> assumende necnon unctionem consecrationem et imperii coronam accipiunt, sua submittere capita non reputaverunt indignum.' Unde Valentinianus imperator suffraganeis ecclesie mediolanensis congregatis ad elligendum presulem sic ait ¹⁴⁾: 'Talem in pontificali sede constitui sive elligi procure, cui et nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittamus et eius monita, cum tamquam homines delinquimus, suscipiamus necessaria tamquam medicamina curantis.' Et beatus Thomas in fine secundi sententiarum ¹⁵⁾ dicit, quod papa temporalis et spiritualis <potestatis> apicem tenet illo disponente qui est sacerdos et rex, sacerdos siquidem in eternum secundum ordinem Melchisedech, et rex regum et dominus dominantium. Preterea: imperator vel princeps quicumque dicitur habere iurisdictionem temporalem, quando ¹⁶⁾ ratione delicti potest animadvertere et pro bono statu rei publice exactiones facere ... et non possunt plus de iure comuni; sed papa potest ista duo facere, quia ratione delicti potest temporales dominos iudicare, sicut habetur infra capitulo CLXXXVIII ^{e)}, et pro defensione ecclesie potest principes seculares requirere ¹⁶⁾, sicut patet de Pipino et Karulo magno; ergo est dominus in temporalibus. Preterea: ille dicitur feuditarius alicuius, in cuius obitu ille dominus succedit, quia feudum semper deficiente feudatario reddit ad dominum; sed mortuo imperatore papa succedit in imperio; ergo est dominus imperii. Minor probatur per Concilium vienense ¹⁷⁾, ubi dicitur in persona pape: 'Nos tam ex superioritate, quam ad imperium nos habere non est dubium, quam ex potestate, in qua vacante imperio succedimus imperatori, et nichilominus ex illius potestatis plenitudine, quam Christus rex regum et dominus dominantium nobis licet inmeritis in persona beati Petri apostoli concessit' et cetera ^{f)}; ergo imperator est feudatarius pape. Unde in eisdem ^{g)} constitutionibus ¹⁸⁾ habetur, quod imperator et rex Sicilie spetiali vinculo

c) c. *Solite om. B* d) prima Cor.] Paulus ad Corinthios *B* e) CLXXXX BW f) et cetera *supplevi ex CM cap. 570* g) eiusdem *B*

8) X. 1. 33. 6 § 4. 9) *De sacr.* 2, 2, 4, Migne PL 176, 418. 10) 1. Cor. 2, 15. 11) Vgl. Thomas von Aquin, *Contra err. Graec.* 2, 35 S. 343. 12) *Fact. ac dict. memorabilium* 1, 1, 9. Galv. zitiert vielleicht nach Thomas von Aquin, *De reg. pr.* 1, 14 S. 18 oder einer anderen Vorlage. Das Zitat ist sinnlos verkürzt. 13) *Clem.* 2. 9 c. un. 14) Vgl. X. 2. 1. 13. 15) *II Sent., dist. 44 q. 2 a. 3 ad 4; s. o. cap. 103 Ann. 2.* 16) quando — requirere vgl. Alexander a S. Elpidio, *De eccl. pot.* II 6, 9 S. 21 und Jakob von Viterbo, *De reg. christ.* 2, 7 S. 241. 17) *Clem.* 2. 11. 2. 18) *Clem.* 2. 9 c. un.